C.R. BIBLIOTHECA VNIVER. IAGELL. CRACOVIENSIS
V B J C
kat. komp.
3493
III. Mag. St. Dr. P

Poezya 3055.

a. 1644 17 Mart.

Stachetka Stanisl. Hortus academicus pulcherrimis et amoenissimis Hesperidum decoratus ornamentis –

A. D. 1644.

HORTVS ACADEMICVS,

Pulcherrimis & amœnissimis Hesperidum decoratus ornamentis.

ET

INGENVIS ac VENERABILIB. XL. VIRIS,
Secundæ Laureæ in Artibus & Philosoph. Candidatis.

DVM

In Peraugusto Magni Academiæ Fundatoris,
DIVI IAGELLONIS ARCHILYCEO
In frequentissima Clarissimorum & Nobilissimorum
Hospitum corona.

A Clarissimo, Excellentissimo, & Doctissimo Domino,

D. LAVRENTIO SMIESZKOWIC,

Philosophiæ & Medicinæ Doctore, Almæ
ACADEMIÆ CRACOVIENSIS
PROCANCELLARIO
Longè dignissimo
Solenni ritu Artium & Philosophiæ Licentiati
RENVNTIARENTVR.

A STANISLAO SLACHETKA Leopolien.
eiusdem Secundæ Laureæ Candidato,
Honoris & amoris ergò
EXHIBITVS.

CRACOVIÆ *Ex Officina Typographica Francisci Cæsarij*

Mens. Mart. Die 17.

IN STEMMA PERAVGVSTVM
Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis.



Quis mihi Phœbeas feret ex Helicone coronas?
Vel dabit è manibus laurea ſigna ducum?
Daphnida ferto mihi Chloris, vel Chryſea ſerta,
Vt Matris decorem fulgida Sceptra meæ.
Verùm floreſcunt Academica Sceptra virore,
Vt Pæſti ſuperent, Heſperidumque decus.
Ergò vigete diu, Lechicus vos armiger ales
Defendit, ſtreperas ille fugabit aues.

Nicolaus Hyacinthus de Siemian
Branicki Studioſus Philoſophiæ.

3493 III

C. R. BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

FLORENTISSIMÆ & CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSI.

Magnifico & Admodum Reuerendo Domino,

D. IACOBO VITELLIO

Sacræ Theologiæ Sententiario, Canonico S. Floriani, Prouisori Collegij Vladislauiani, & Studij Almæ Vniuersitatis Crac: GENERALI RECTORI.

Nec non Perillustr. & Admodum Reuerendis,

CLARISSIMIS, & EXCELLENTISS. VIRIS S. Theolog. Iurisprudentiæ, Medicinæ & Philosophiæ Doctoribus, & Professoribus Digniss.

DOMINIS & PATRONIS OBSERVANDIS.

STANISLAVS SLACHETKA Leopoliensis, Secundæ Laureæ Candidatus, Salutem & Perennem felicitatem.

HÆrebam in biuio Clarissima Almæ Academiæ lumina & columina, sub cuius nomine & omine, hæc elucubratio mea exilis, lucem aspiceret gratissimam, adeoq; mens mea in medijs agitabatur æstibus, vt nullum potuerit iucundiorem adinuenire portum, in quo tanquam in aliqua securissima conquiesceret statione. Afflauit quidam serenus Etesiarũ menti meæ prodromus, dum Vos digniss. Viri Academici Patronos singulares,

& acerrimos Propugnatores elegi, vestris ego firmissimis obarmatus præsidijs, inuidorum acerrima detractionis tela superabo. Offero Hortum, non illum inquam, qui densis obsessus salictis rigeat, acuta veprium pullulet germina, vrticas foueat ignobiles, sed gratissimis florum, & plantarum insignium cultissimum ornamentis. Hæc Hesperidum decora illustria, hæc suauissima amœnitatis & voluptatis schemata, à me hilari suscipite vultu Viri Academici, à vobis enim plurima beneficiorum collata esse in me monumenta, non inficior, manebunt semper non tantùm meis intimis cordis infixa medullis, verùm etiam apud Amplissimum Senatum Leopoliensem, cuius ego salutari consilio excitatus, & liberalitate Venerabilis Capituli Leopoliensis adiutus, feliciter in hac florentissima Vniuersitate cursum studiorum circumegi. Fortunatissimus Vester Hortus Viri Academici, in quo Magnorum Heroum & Senatorum crescunt Filij, veluti præstantissimæ aliquæ plantæ, vos inquam soli purissimo veræ & solidæ sapientiæ eos irrigatis imbre, vt aliquando Patriam, Rempublicam florentissimam, illustre genus Auorum & Atauorum iucundissimo Virtutum recreent & reficiant odore. Habet Hortus Vester quatuor limpidissima & amœnissima Scientiarum flumina, Theologiam, Iurisprudentiam, Medicinam & Philosophiam, quæ Septemtrionem nostrum reficiunt, vniuersum, adeò, vt quicunq; Vestrum amœnissimum Hortum Academicum tanta scientiarũ varietate fertilem excoluerint, non difficilè vel laurea redimiti magnam nominis authoritatem apud multos vel honorum ac fortunarum suarum inde auspicia & incrementa, laborum vberrimos fructus retulerunt. Habes ô ingeniorum altrix ingenuorum Alma Academia plurima decora & ornamenta, quæ augustam Nominis Tui maiestatem & amplitudinem illustrant, en fauente Dei gratia Neo-candidati Secundæ Laureæ in laudem Tuam & Patriæ ornamentum excreuerunt, tendunt iam ad solidas & veras venustatis Academicæ Laureas, immitte Tuæ serenioris beneuolentiæ Zephyros, vt tuo placidissimo recreati fauore, in vigore & virore perseuerent, qui tibi non solum animum cum obsequijs consecrant, verum etiam vnanimi consensu & votis concordibus perennitatem apprecantur.

Tàm diu regna, numeraq; secla;
Quàm diu soles Lechici nitebunt,
Cresce gemmatis redimita sertis
Inclyta Mater.

EPINI-

EPINICION
Almæ Matri Academiæ.

NON iam ſuperbâ laudis adoreâ
Claras Athenas tollat in æthera
Armata Gradiuo, Mineruâ
Græcia, belligerâque turmâ.
Fruſtra togati fert Labarum Dei,
Et celſa pandit fulgura gloriæ,
Fruſtra perauguſtos Coloſſos,
Pyramideſque legit perennes.
Iam fama Veſtrum nomen in abditis
Obliuionis fluctibus inclytum
Demerſit, & pulchros honores,
Cimmerijs amiciuit vmbris.
Vos Pallas olim Dædala rexerat,
Veſtraſque laudes non ſecùs ac iubar
Solare, mirabatur orbis,
Totaque Theſpiadum corona.
Nunc iam profundo cuncta ſilentio
Sepulta ſqualent, triſtia rudera
Spectantur, infauſtum Lycei
Prædicat interitum vetuſtas.
Quis non beatam, ſydere proſpero
Te dicat ortam Clara ACADEMIA
Cracouienſis, Lux amica
Sarmatiæ, Lechicique Phœbi?
Te ſiue ſummis laudibus eueham
In aſtra, multas ſiue coronides
Adferre de Pindo virenti,
Mens mea percupiat, niteſcis.
Per te, colores inſtabiles fugis,
Pigmenta Zeuxis, lætus vti Phanes
Non indiget ſplendore: ſic tu
O ACADEMIA luce laudis.
Silere natum non tamen expedit,
Inter ſerenos lætitiæ ſonos,
Nec præſtat elinguem videri,
Dum mea fulget honore Mater.
Ergò curules ſcande celerrimas
Vallata ſertis Alma ACADEMIA,
Egreſſa ſublimes Triones,
Magnificos agito triumphos.

C Apollo

Apollo laudes prome, ACADEMIA
Quas docta Mater Castalidum, decus
Virtutis almæ, splendor orbis
Sarmatici, columenq́; firmum
Habet, canoris ingemina modis
Claros triumphos, stemmata fulgida
Perennitati appende, tali
Lemmate vel titulo notata:
SEMPER MANEBVNT, LECHIA QVAMDIV
AVGVSTA STABIT. non temerarius
Perfringet ausus Sceptra bina,
Non diadematibus nocebit.
Fortes Atlantes Alma ACADEMIA
Producit, ornent vt decus illius,
Famamq́; sustentent potenti
Robore, consilioq́; sano.
Exultat & nunc Alma ACADEMIA
Dum plurimorum spectat amabiles
Crebrò Dynastarum fauores,
Suppetias, studiumque promptum.
Te Te tuentur, lucida sydera,
Appello Summos Pontifices, Patrum
Te purpuratorum Senatus
Aoniis super astra laudum
Extollit alis, prædicat inclytum
Scientiarum dotibus HOSIVM,
Cuius Mineruam ROMA celsam
Sensibus attonitis stupebat.
In auge lucis claruit HOSIVS,
Iagello Princeps, quam pius incolit,
Regum, Strategorumque splendor,
Gloria Sarmaticæ coronæ.
Victoriarum fastibus ebria,
Et Laureatâ cincta coronide,
Mater Dynastarum, Ducumque,
Lechia, belligeræque prolis,
Exsurge, laudes illicò nobili
Perstringe buxo, quanta ACADEMIA
Eduxit in campum Gradiui
Lumina, & Imperij columnas.
Beata, florens ô ACADEMIA,
Tu sola Regno progeneras viros,
A Te coruscum cuncta lumen
Alitibus capiunt secundis.
Tu sola sicut fax Hyperionis,
Inter minorum Syderum agemata

Splen-

Splendeſcis, ac deuincis omnes,
Quotquot in orbe vigent, Palæſtras.
Tu Sola regnas Hercule proſpero,
Habere nullos vis operarios,
Qui laureatis in Lyceis,
Ingenuam erudiant Iuuentam.
Clares potenti robore conſilii,
Scientiarum præſidijs ita
Polles, vt infauſtas ruinas
Non metuas, rigidoſq́; caſus.
Nunc iam triumphos alma Parens age,
Deprome lætâ fronte celeuſmata,
Victricibus vallata ſertis,
Ad Capitolia tende clara.
Gemmata pridem Gloria Pergama
Recluſit: i nunc per Boreæ domos,
Adeſt Apollo cum Camænis,
Pindaricum feret ille Pæan.

P O E T A.

Apollo prodi Caſtalidum Pater,
Euincte lauro roſcida tempora,
Relinque Parnaſſum bicollem,
Sacraq́; Theſpiadum fluenta.
Pulſa Cinyram verbere eburneo,
Gratiſſimorum iam ſatis audijt
Concentuum Pindus niualis,
Candida Delos, & Othrys alta.
Orphęa promat nunc placidum melos
Chelys, ſonoris cantibus intonet,
Clarum Iagellonis Lyceum,
Dum meritos referunt honores
Hi, quos coronat Pallas adoreis.
Sacrę Camenę, quę colitis iugum
Sublime Parnaſſi, nitenti
Garrula ſiſtra mouete plectro.
Deprome gratam Καλλιόπη *Sacra*
Ab ore vocem, carmina fundito
Exculta, Κλειὼ *geſta canta*
Lechiadum, monumenta narra
Victoriarum. Τερψιχόρη *inclyta*
Concandidatos in rigido ſatis
Circo fatigatos Mineruę
Threicio recrea Monaulo.
Iucunda tandem da lepidos ſonos,
Θαλεία *grati ſymbola pectoris*

Monſtra

Monſtra, coronas de vireto
Adfer Olympiacas Poëtis.
Vincis canendo Μελπομένη Deas,
Ergo cruentat quos dolor horridus,
Dulciſſimis mentes relaxa
Symphonis, meliciſq; metris.
Pimplæa montis linque cacumina,
Pæana lætum funde per aëra
O Mitis Εὐτέρπη, cicutas
Nec calamos cohibe loquaces.
Orphæa fulgens plectra Ἐρατώ tenes,
Ergo ſonoras verbere eburneo
Tentato chordas, & ſequaces
Claude choros pedibus tenellis.
Vultus ſerenos pande Πολύμνια,
Aureſq; gratis cantibus occupa
Cunctas, & obſcuras tenebras
Diſcute triſtitiæ, nitore.
Nunc nunc niteſcant lucida ſydera,
Phaneſq; pulcher lumine fulgido
Scintillet, alati iugales
Non rigidos adeant Philenos,
Scis vnde Titan emicat aureus,
Aut Luna prodit, ſcis vbi Phoſphorus
Conſurgit, Οὐρανία ſancta
Lumina mitte precor ſerena.
Adſis Atlantis clare nepos, chelyn
Tracta canoram docte Choroſtates,
Agema præſtò Muſicorum
Harmonias, Cytharaſq; tangat.
Vobis Apollo lauriger, & cohors
Cyrrhæa ſortis proſpera munera
Precatur, & vitam Sibyllæ,
Neleidis, Pilyq; ſecla,
Quicunq; noſtris ingenijs facem
Claram dediſtis, noſq; perarduam
Laboris orcheſtram prementes,
Condecoratis honore ſummo.

Clariſſi-

PERILLVSTRI & CLARISSIMO DOMINO,

D. LAVRENTIO SMIESZKOWIC

Philosoph: & Medicinæ Doctori,

Almæ Academiæ Cracouiensis

PROCANCELLARIO

Longè dignissimo.

GRATITVDINIS MNEMOSYNON.

O Celle Phœbi, Gratiarum gemmula,
Chrysoliche Musarum, Berylle Palladis,
Pantarba Suadæ, Corculum Sapientiæ,
Propago Galeni, Volupta Principum,
Decus Iagellonis Lycei, nostra lux,
Nostrumq; iubar & aurei flos Tullij.
Te Fama gemmeis in alis reposuit,
Tuumq; nomen aureo Capitolio
Affixit almæ gloriæ, vt spectet chorus
Doctæ Mineruæ candidus celebrem tuam
Sapientiam, quâ Nestorem æui triplicis
Superas, Periclem vincis Eloquentiæ
Suauissimæ nitore, verbis floridis
Ac melle dulcioribus Demosthenis.
Mirandus Italis, & satis de sanguine
Latio, stupendus Sarmatum Phalangibus.
Cùm septa viseres Patauij inclyta,
Claramque Medicorum Palæstram prosperis
Auibus adisses, protinus te blandido
Excepit ore, fronte placidâ, candido
Vultu, virorum Summa Maiestas: bona
Celebrauit animi laudibus pulcherrima,
Solertiam, vigilq; studium, Sedulam
Operam probauit, dum Machaonias opes
Crebrò legeres, ab ore Medicorum aureo,
Illuminant clarissimum nomen tuum
Duæ Patauinæ faces Academiæ,
Syluaticus, Salaq;, grauissimi viri

D Non

Vberrimo torrente quos iam nectaris
Potauit Imperator Aonidum, Deus
Vatum, Camænæ subministrârunt quoq;
Caballico de fonte pocla dulcia,
Amore prosequuntur intimo, euehunt
Tuam perenni Gloriam præconio.
Non hîc Laboriosa tetigit vltimam
Virtus coronidem, sed vlteriùs pede
Fausto cucurrit, ad serenæ culmina
Cliuosa laudis, dum Cathedra perardua
Tyliciana venit in manus tuas.
O quam decoris illa Suadæ floribus
Resplenduit, tantosq; fructus edidit,
Vt Hybla Trinacris & Hymettus floridus
Pallesceret ad vberrimas gemmas tuas.
Musa tua sublimis, disertus Consus, &
Augusta Themis, aurata Regum Pergama
Visêre, spectârunt tui genij decus.
Spectauit ACADEMIA labores maxîmos,
Orationes & Sophocleos modos,
Lucernam Epicteti, Cleanthisq; vigilis
Crebrò redolentes inclyti SMIESZKOVIJ.
Hunc fertilem laudum maniplûm suscipe
Vultu benigno à Candidatis, symbolum
Animi, voluntatisq; gratæ tesseram,
Nos sub secundo nominis Tui omine,
Ad laureata pergimus fastigia
Honoris, & plenas laboris exedras
Te Prodromo, Duce, Coryphæo scandimus.
Ergò Serenos Clare SMIESZKOWIC dies
Decurre, candidis ferantur aureæ
Horæ quadrigis, sæcula tibi gemmea
Fluant, diuq; sospitem seruet Deus,
Ex intimo precamur omnes pectore.

EXCEL-

EXCELLENTISSIMIS & DOCTISSIMIS DD.

PROFESSORIBVS,

FAVENTISSIMIS

EXAMINATORIBVS.

VENERABILES SECVNDÆ LAVREÆ CANDIDATI, singulare gratitudinis exsoluunt officium.

ET Nos Camænæ non solitos loqui
Iussêre, tandem laudibus inclytis
Æquare cælo, quos Minerua
Artibus egregijs beauit.
En Lux Sophorum, Thespiadum decus,
Scoti Palæstræ splendor amabilis
PIOTROWSCIVS, cunctis nitescit
Ingenio, probitate summus.
Et arte Clarus DAMBROVIVS, nitor
Nostræ Phalangis, cui labor hoc dedit
Et mens, vt ambages resoluat
Multiplices facili Mineruâ.
Tu Clare TONSKI, laudis adoreâ
Vbiq; flores, nam Mathesis tibi
Commisit orbes cum Planetis,
Vt rapidos numeres meatus.
Omnes precamur sæcula prospera,
Vitam Serenam, lustraq; plurima,
Vos cornu Amaltheæ Secunda
Diuite Prosperitas adornet.
Vestros fauores vidimus intimos,
Dum colla cuncti tradidimus iugo,
Pro gratiâ tantâ serenos
Ducite sæpè dies & annos.

ANTELOGIVM

Ad Venerabiles Secundæ Laureæ

CANDIDATOS.

SEcundum Anni elapsum est curriculum, ex quo Vobis Venerabiles Licentiati, dum primos in Florentissima & Celeberrima Vniuersitate prensabatis honores, Ancylia Palladis Academicæ dedicaui, ancylia scuta inquam, cœlestem referentia opem & Virtutem. Cùm temporibus Numæ Pompily teterrima grassaretur pestis, & Romanum depopularetur imperium, Ancyle scutum cælitùs delapsum est: quod dum veluti aliquod antidotum accepisset Numa Pompilius, illicò hæc pestifera lues sopita est & extincta, ad cuius rei æuiternam memoriam, & tantæ gratitudinis erga populum prostratum & profligatum, mnemosynon, 12 ancylia eiusdem coloris & figuræ mandauit fabricari. Quid enim spirabant illa Ancylia à me oblata, nisi vestram dexteritatem ingenij & insignem fortitudinem in tolerandis imperterrito animo Philosophicis difficultatibus, spectaui Vos semper in acie Palladis Academicæ acerrimos & vigilantissimos, tot enim superâstis laborum & difficultatum moles, tot infensissimos sedulitatis hostes felici profligâstis Marte, tot monstra pigritiæ & desidiæ veluti aliquas multiplices Hydras ad lernæam malorum paludem commorantes trucidâstis. Iure merito Vobis hæc Ancylia consecrata sunt, estis milites Iagellonianæ Palladis, vos iam pridem baltheo obstrinxistis Academico, vt & vestrum honorem, & Almæ Academiæ Parentis nostræ amplitudinem, & augustam nominis tueamini maiestatem. Antiquitas superstitiosa dum nouum colligebat militem, & ad sanguinolenta Martis pelliciebat castra, clypeum illi tradebat, vt quâ virtute & quibus modis aggrederetur hostem, aut victoriam obtineret: illam in clypeo veluti in aliquo obelisco efformaret. Specto ego Vestros clypeos plurimis non adumbratos, sed onustos laboribus, assumptâ enim Primæ Laureæ dignitate, feliciter spinosum decurristis studiorum Hyppodromon, nil ampliùs restat, nisi vt desideratas indubitatæ Victoriæ signa Lauros apprehendatis. En ego Hortum Vobis Academicum pulcherrimis Hesperidum ornatum floribus exhibeo Venerabiles Licentiati, ex quo varios flosculos, plantas, & herbas miræ proprietatis decerpo, ad vestrûm omnium, & solennis istius Actus ornamentum. Hortus hic amœnissimos parturit & pullulat flores, semper vere & æstate gaudet iucundâ, non illi seuera dominatur hyems, non debacchantes expauescit Aquilones, sed gratissimis semper recreatur ac reficitur Fauonijs. Itaq; à me Sympalæstrita Vestro hoc grati animi symbolun sereno excipite vultu, & hæc iucunda & amœnissima Horti Academici oblectamenta, æqui bonique consulite, si enim aliquid defuerit lecythorum & pigmentorum, id breuitati & angustijs temporis adscribetis.

HORTVS

HORTVS ACADEMICVS.

Præmia Virtutis largitur floris honores,
Et nitidas herbas, arboreumq; decus.

I. V. D. SIMONI ZIMANKOWIC.

Sertum ex triplici genere ramusculorum, nimirùm ex Lauro, Quercu & Olea contextum, cum tali Lemmate. Si rectè facies.

ASscende Victor nobilis aureas
Laudis curules, en tibi triplicem
Tradit coronam Laureatus
Pieridum Polemarchus ipse.
Dextro Gradiuo perdomuit tua
Virtus inertes desidiæ choros,
Quid ista quercus signat? alti
Non nisi pectoris acre robur.
Quid sacra Laurus denotat? inclytas,
Summasq; dotes ingenij tui,
Oliua viuax? pacis index,
Atq; tuæ integritatis omen.
Hoc Lemma RECTE SI FACIES Viro:
Apponit omni Thespiadum Pater,
At vidit in te cuncta dextra,
Pro titulo tibi dat coronam.
Hæc est virorum gloria fulgida,
Laboriosi Philosophi decus,
Hanc iam ZIMANKOWIC capessis,
Ergò age magnificos triumphos.

II. V. D. BARTHOLOMÆO ADAMOWSKI.

ROSA.

Inter omnes alios flores grata ac fragrans, exiguo admodùm tempore durat, sed rursum languescens ac exarescens perit, cum cum tali Epigraphe. *Aliter cœlestia durant.*

INclytum Veris decus, ac ocellus
Omnium florum, Cypria dicata
Virgini, mollis rosa sæpè suaues
Spirat odores.

Grata mortali, viridiq; prato,
Inter Hyblæas tenet illa gemmas
Principem partem, niueoq; vultu
Lumina mulcet.
Non diu durat nitor eius, Austri
Cum fremunt sæui, reboantq; passim,
Illa languescit, moriensq; pulchrum
Perdit honorem.
Dum colis Musas ADAMOWSKI *sacras,*
Et tuum pectus reficis Mineruâ,
Spernis infaustos Cypridis fauores,
Pocula blanda.
Non tibi falsi placet aura vulgi,
Despicis pompas, rutilos colores,
Sola sed cælestia dona prensas
Scilicet artes.

III. V. D. BARTHOLOMÆO LACTINIO.

LAVRVS & PALMA.

A quodam Symbolorum scriptore collocantur in montibus altissimis, ad quos per asperam & angustam semitam aditus patebat, cum inscriptione tali: Ardua virtutem.

VVlt mercator opes maris
Baccas perspicuas, & lapidum globos
Lucentes legere, est opus,
Vt Mauros celeres, regnáq; visitet
Indorum radiantia,
Et casus subeat, sæua pericula.
Cedunt cuncta laboribus.
Miles dum rigidam sustinet aleam
Martis, perpetitur mala,
Ardores, pluuias, horrida frigora.
At dum gestat adoream,
Voluit sub valido pectore gaudia.
Virtus sedula daphnida
Cum palmâ posuit montibus in cauis,
Ad quos aspera semita,
Angustos aditus præbet: at inclytus
Faustè LACTINIVS viam
Calcauit rigidis vepribus obsitam
Virtutis, Sapientiæ
Lauros ille gerit, laudis & aureæ
Palmas, LACTINIVS meus
Lac Suadæ niueum, splendor Apollinis.

IV. V. D.

IV. V. D. ALBERTO WAŁKOWIC.

Cvpressvs.

Ob suam acrimoniam non solùm tineas & blattas non patitur, sed eas repellit (teste Dioscoride) atq; etiam dissectæ ligni particulæ, alijs rebus appositæ, eiusmodi animalia inde arcent, cui tale annecto Symbolum. Nil mihi vobiscum est.

Arbor Cupressus frondoso vertice terram
Contegit, & ramos ardua fert teneros.
Non timet infestas blattas, tineasq; feroces,
Omnia quæ morsu scindere sæpè solent.
Arcet lampyrides lucentes nocte, repellit
Cantharidas virides, vermiculosq; truces.
Non turpem sentit cariem. Virtus tua semper
Sic viget, & mordax nil nocet Inuidia.
Blattas nescit amare decor tuus, & fugat illas,
Mordaces Momos scilicet ore bonos.

V. V. & R. P. STANISLAO LASSICKI Vnieiouień.

Ord. Canonic. Regul. Custod. SS. Sepulchri Hierosol. Conuent. Miechou.

Chrysanthemvs.

Est planta maxima sed propter effectum & similitudinem flos Solis vocatur. Sẽper respicit superiora & solem, ad eiusq; radios sese plurimũ pandit, cũ inscriptione. *Non inferiora secutus.*

Formosæ Charites, quæ viridaria,
Ac hortos roseos incolitis, modis
Hanc Plantam melicis tollite in æthera.
Multis illa valet dotibus inclytis,
Huic natura dedit prouida commoda,
Ornauit nitidis proprietatibus.
Dum Titan roseo sydera lumine
Lustrat, continuò respicit illius
Splendores rutilos, surgit in æthera
Cum ramis, niueâ Solis imagine
Arridente; tuum dum video Statum,
Mystam cerno pium, lumine præditum
Virtutum, Sophiæ muneribus sacris
Insignem, tibi lux semper adest micans
Solis iustitiæ, respicis hoc iubar,
Attollisq; tuum lumen in omnium
Authorem, refugis lubrica, fluxaq;.
Felix Relligio, Clara MIECHOVIA
Est VNIEIOVIVS *Gloria Palladis.*
Chrysanthemum hilari suscipe pectore.

VI. V. D. IOANNI ZIELINSKI.

P L A T A N V S.

A foliorum latitudine vmbram habet, quam tali decoro titulo: *Vmbra solum.*

Principibus Claris & dextro Marte secundis,
Regibus & Superis
Grata fuit Platanus, sub eâ conuiuia lauta, &
Instituêre dapes.
Talis Licinius Murianus erat, vir amicus
Iustitiæ & Fidei.
Alter erat Caius Princeps, hic fercula struxit
Sumptibus eximijs.
Brachia diffandit latè, citò germinat, arcet,
Dum furit æstus atrox.
At dum sæuit hyems, admittit lumina solis,
Auricomumq; iubar.
Ad solidam tendit laudem ZIELINSCIVS, *vmbras*
Non sequitur Paphias.
Artibus instructus, ceu fructibus ille renidet,
Dogmata sacra colit.
Quæ Princeps Sophiæ Stagyrites tradidit, & quæ
Docta Palæstra Scoti.
Prosper es, & gratas Phœbus tibi porriget vmbras,
Dum labor acer erit.

VII. V. D. STANISLAO ZIMNICKI.

M Y R R H A.

Est procera & spinosa, ablaqueationibus & incisionibus gaudet, præterea ventis vehementer flantibus, gummi pretiosum effluit copiosius: cui talis sit Epigraphe. Concussa Vberior.

Felices Arabes, florentes, atq; beati,
In quorum regno pullulat arbor olens.
Myrrha vocor, latè suaues exhalo nitores,
Et fundo lachrymas cortice sæpè meo.
Me vexat rabies ventorum turbida, Caurus
Incursat stridens, Eurus & Auster atrox.
Integra permaneo, nec terreor, effluo gummi,
Quo defunctorum corpora salua iacent.
ZIMNICIJ constans animus velut ægide septus,
Fructus Virtutis parturit, & studij.

VIII. V. D. IOSEPHO SZIDLECKI.

O L E A.

Con-

Consecrata fuit Mineruæ, signum pacis, semper viret, nec folia sua amittit ob innatam sibi pinguedinem, quam tali illustro schemate: *Nec incidi, nec euelli.*

Symbolus est pacis tranquillæ pinguis oliua,
Atq; Cerebrigenæ δένδρον amica Deæ.
Semper vernat, & vberibus foliata racemis
Succrescit, cuncto commoda fert homini.
Dure facesse bidens, procul & violenta bipennis
Esto, non illi vulnera mille dabis.
Non explantabis, non à radicibus imis
Euelles, seruat Dædala Pallas eam.
Perge bonis auibus SIDLECKI *non tibi liuor*
Afferet exitium, te Sacra Pallas amat.

IX. V. D. STANISLAO RAP.

CAPRIFICUS.

In vexillo portabatur marmoreum quoddam antiquum monumentum suâ vi innatâ findens. Cui talem induco inscriptionem. Ingentia marmora findit.

Quis non stupescat? talia dum videt
Innata fortis semina roboris
Huic arbori, quæ læuigata
Marmora vi dirimit potenti,
Et saxa: signat quid Caprificus hæc?
STANSLAE motus ingenij tui
Acres, ad Oratoriam vim,
Et decus eloquij, expeditos.
Torrente fandi pectora dissita
Trahes in vnum marmorea, in tuis
Suadela iam regnat labellis,
Et dominatur in ore Nestor.
Fausti parentes, sint celeri licet
Letho perempti, semper at in tua
Virtute præstanti virescunt,
Æthereâq; fruuntur aurâ.
Deprome tandem læta celeusmata,
Iam dignitatis fers labarum tuæ,
Hostes subegisti, Mineruæ
Iam cape STANESILAE serta.

X. V. D. IOANNI Baptistæ de Bulowice NYCZ.

PALMA.

Non facilè crescit, nisi foueatur lumine salutari, nec non hu-

more aliquo conueniente irrigetur, vnde ad fluminum ripas feliciter pullulat. Placuit illam tali Lemnisco tituli condecorare: *Haud aliter.*

NON facilè æthereas arbos consurgit in auras,
Et frondes spargit nobilis egregias.
Sol foueat nisi luce suâ, feliciter exit
Ad cælum, errat vbi garrula lympha fugâ.
Robur inest illi firmum, quod pondera dura
Flectere nulla queunt, insuper alta petit.
Idcircò dantur Victoribus illius ampla
Præmia, qui calido Martis amore flagrant.
Laus tua non aliter rutilam contendit in æthram,
Et viret ad fluuios inclyta Pieridum.
Danubij, Muræq; tamen peregrina perosus
Flumina, Teuto, Lechos, nil habet ante Pados.
Tullius eloquium Tibi præbuit, ac Stagirites,
Iam Sophicos nodos soluere te docuit.

XI. V. D. LVCÆ ZEGARTOWIC.

LAVRVS.

Laurum custodiæ ac incolumitatis esse Symbolum tradit Pierius ex Proclo, & immunem esse à fulminis impetu, crediderunt veteres, Plinio adstipulante. Dicata fuit Victorijs, ac triumphis. At Eusebius scribit, eã Soli consecratam, quoniam ignea est. Vnde odio maximo à Dæmonib⁹ habetur, siue quod plurimũ sonet, si vratur, quod prædicendi artẽ designat, ego illã tali pigmento animo. Intacta Virtus.

DAphnis Pontificum ianitrix, atq; Potentum
Regum, fatidico Daphnis amata Deo.
Daphnis perpetuos frondis conseruat honores,
Daphnis & in pingui pendula floret humo.
Daphnis Parnasso bifido gratissima semper,
Explicat & virides Daphnis opima comas.
Vatibus est Daphnis pretium, non fronde caducâ
Carpitur, & Daphnis fulmine non quatitur.
Dum tibi Musa dedit latices gratissime LVCA:
Protinùs ad lauros candidus iuit amor.
Integer & mansit, furibundæ fulmina sortis
Nunquam illum ferient, vincere nec poterunt.

XII. V, D. ANDREÆ BARANKOWIC.

BALSAMVM.

Est frutex, qui in Arabia nascitur, ex hoc frutice liquor nobilissimus

lisimus vulnerato cortice in æstate destillat, illius magnus vsus ad omnia vulnera ac vlcera difficilia ac sordida. Huic talem colorem induco. *Vulnere vulnera sano.*

Felices Arabum plagæ, vireta
Iudææ, Syriæq; vallis omni
Fortunâ cumulata, nam fouetis
In vestro gremio decus stupendum,
Clarum balsamum odore gratiori.
Hic liquore scatet frutex,
Cum Sol feruidus arua scindit, herbæ
Cum molles sitiunt, caduntq; aristæ,
Prosunt balsama vulneri cruento,
Sanant hulcera, cuncta tetra tollunt:
Fragrans Balsamum habet Minerua docta
Artes, ex quibus Atticos
Hausisti latices BARANKOWIC, *&*
Dum formosa calore torquet æstas
Campos, & fera bruma sæuit, haud te
A Musis reuocare dura possunt,
Succos sicut apis legis Sophorum,
Hæc sunt balsama suauia.

XIII. V. D. IOANNI CZECHOWIC.

FRVCTVS ARBORIS PERSEÆ.

Formam cordis repræsentant, folium autem cum lingua similitudinem habet & analogiam, quos eiusmodi lecytho & splendore condecoro. Concordia cordis & oris.

Harpocrate tibi δένδρον erat sacra,
Gaudens nomine Persea.
Terrarum genitrix eius amabile
Ægyptus coluit decus.
Huius CZECHOVIVS iam tenet arboris
Fructus, sorte sibi datos.
Hi clarum referunt Prototypon tuæ
Mentis, Palladis inclytæ
Donis, candidulum pectus habet Tuum
Insignes Sapientiæ
Thesauros, trabeas iam tibi porrigit
Phœbus, scande nouas domos.
Quas gemmatus honor perpetuò colit,
Cirrhæ gloria floridæ.

XIV. V. D. VENCESLAO OSTRZESZOWSKI.

ASPALATHVS Supra quem IRIS.

Sicut enim Iris Aſpalatho ſi herbam eā attigerit, miras virtutes ac peregrinos affundit odores; ſic euenit prorſus mentibus eorū felicium, qui Academiæ cæleſtē afflatum conſectari conſueuerunt. Hanc tali illuſtro ſchemate. *A te virtus maior.*

QVis non Aonijs extollat laudibus iſtam
Herbam virentem floribus?
Quam dum contingit proles Thaumantia, mirâ
Virtute pollet, inclytos
Atque peregrinos latè diffundit odores,
Mulcetque nares ſuauiter.
Tecta Camænarū quando OSTRZESZOVIVS *intrat,*
Mentemque tradit Artibus.
Protinus ambroſios pulchræ virtutis odores
Spirauit, ac clariſſimæ
Palladis. Ergò triumphales aſcende Curules,
Frondesque calca Chryſeas.

XV. V. D. IOANNI KOPCIOWIC.

HEDERA.

Eſt herba perpetuò virens, ſtare non poteſt ſine adminiculo propter imbecillitatem, muros amplectitur, & arboribus adhæret, viuaciſſima eſt omnium Plantarum, folia nunquam amittit. Vnde Pyramidem hederá veſtitam in cuius faſtigio luna apposita fuit, vſurpauit Cardinalis Lotharingius, hanc ſigno eiuſmodi titulo: Te ſtante virebo.

PYramis inſignis ſplendentia conſpicit aſtra,
In cuius celſo vertice luna nitet.
Hanc veſtit frondens hedera, & conſurgit in alta,
Pyramidis celſæ præſidioque viret.
Nititur arboribus, nam debilitate laborat,
Et cum munimen poſſidet, exit humo.
Pyramis eſt Pallas, virtutem Cynthia ſignat,
KOPCIOVIVSque meus nobilis eſt hedera.
Eloquio pollet, præceptis Philoſophorum
Claret, & alloquitur ſæpiùs ille Deam.
Tu mihi marmoreum columen, tu Pyramis alta,
Te duce florebo dum premet aſtra Phanes.
Te Duce clareſcam Pallas, te ſtante vireſcam,
Et mea Muſa tibi roſcida ſerta feret.
Ibis ſub pedibusque relicturus fera monſtra,
Calcabis roſeum ſemper honoris iter.

XVII. V. D. IOANNI SCZECHOWIC.

A C A N T H V S.

Hæc herba est elati longiq; folij, crescit fecundiùs ac elegantiùs, si non nihil prematur. Quam tali adorno apodosi: *Depressa resurgit.*

DVM concussa sonant grandine tecta graui,
Dissilit, & vehemens serpit vbiq; fragor.
Iacturam non fert, nec parit exitium:
Sic animus fortis nulla pericla timet,
Deridet fragilis spicula sæua Deæ.
Ignis vt in tepido splendicat ille foco:
Sic mens in dubio permanet alta vado.
Molibus immensis pressus Acanthus humo
Surgit, Cæsariemq; explicat auricomam.
Fortis SCZECHOWIC *sicut Acanthus amat*
Moles, sed postbac perget in alta loca.
Et virtute suâ clarus, & ingenio,
Insultus vincet fortis vt arma fera,
Cum nullus sapiens subiacet imperio.

XVIII. V. D. IOANNI MVCHARSKI.

R O S S O L I S.

Paruula & elegans Plãta, ad multos efficax morbos, æstate intensissimis solis exposita radijs, floret, nunquã folia ipsius humore destitui roscido, eorumq; lanuginem admodum tenerã guttulis quibusdam pellucidis semper madere, cui tale elogium insero. Inuicta maneo.

AOnidum formosa phalanx dedit inclytum nitorem
MVCHARSCIO virtutibus micanti.
Inclytus iste Nitor, Ros Solis odorus, & stupendus:
Morbi repellit tela sæuientis.
Cum iam terga Leonis adit Pater omnium benignus
Titan, & agros luce scindit vdos.
Roscidus humor adest illi, folio nitet comanti,
Et guttulis pellucidis madescit.
Hic Ros effigies est Indolis, & tui IOANNES
Signum laboris splendidum, triumphos
Ergò age, Te comitatur honos, decor inclyti Parentis,
Ætas virescens, & Minerua solers.

XIX. V. & R. P. IOANNI WOSCZYNA.

A M A R A N T H V S.

Nunquam marcescit. Adnotat Pierius in Hieroglyphicis

veteres illorum capitibus, qui valetudine prosperâ viribusque ad extremum senectutis vegeti essent, solitos fuisse Amarantinum imponere sertum. Libuit illum insignibus talis symboli distinguere. *Nunquam languescimus.*

NVnquam marcescis florens Amaranthe colorem
Puniceum retines, cum dominatur hyems.
Flores purpureos gestas, & crebrò puellis
Grata corona tua est, decrepitoq; seni.
Olim te Reges in signis Martis habebant
Pictum, fulgebas non semel in labaro.
Intrepidum signas animum, nullosq; labores
Vitantem, dubiæ nullaq; tela Deæ.
Diris impetibus fortis non cedis, at audens
Esse soles, nunc iam daphnide cinge caput.
Fortis es, in manibus retines quia lumen Olympi,
Pandis & æterni mystica sacra Dei.
Fers Amarantinos flores, sunt Integritatis
Symbola Mysta tua lucida, viue diu.

XIX. V. D. IOANNI BVIAKOWIC.

CORALIVM.

Est frutex marinus, qui æquore extractus durescit statim, atq; emergit, tanquam offuso aëre protinùs concrescit. Cui tale Symbolum annecto. Mollis fuit herba sub vndis.

HIC frutex Nereî spatiosa regna
Incolit, Cauros minimè pauescit
Efferos, inter nitet æstuantes.
Ille procellas.
In salo crescit, statione postquam
Mollis orbatur propriâ, ætherisq;
Verticem tangit, solidus fit instar
Illicò tophi.
Reddit exemplum, specimenq; clarum
Hocce præstans Coralium laborum,
Quos sub Ascræis retulit cauernis,
Ad vada Pindi.
Sunt vbi suaues Heliconis vmbræ,
Antra Pirenes, violisq; florens
Thespiæ petræ caput, & sonantis
Flumina Cydni.
Quis tot immensos retulit labores?
BVIAKOVIVS pietate clarus,
Ille non dulcis studij grauatur
Castra subire.

XXI. V. D. IOANNI IANVSCHOWIC.

FLOS ADONIDIS.

Apud Poëtas, ac præsertim Ouidium Anemone vocari videtur, species eius sunt plures, flores elegantes, sed caducos ac euanidos habet. Flos itaq; Anemonis vt est venustissimus, leui ventorum impetu, aut solis ardore languescit, cadit, & semen eius facilè in pappos abit. Quem tali decoro titulo. *Breuis est vsus.*

Formosa mundi gloria, non diu
Solem sereno lumine conspicit,
Nunc faustitatis prata rident,
Cras pluuiæ populantur illa.
Nunc sol coruscum promit ab æquore
Caput, lucernâ cras tegitur nigrâ,
Adonidis florem sequuntur
Omnia, quæ faciem nitentis
Spectant Dianæ. suaue coloribus
Flos iste gaudet, sed subitò leui
Percussus austro, pulchritudo
Eius abit, perit, obsolescit.
Pigmenta temnis Clare IANVSCHOWIC,
Florem decoris cùm periment dies,
Prensa Camenarum cathedras,
Et patruos imitare gressus.

XXII. V. & R. P. THOMÆ KOCORKOWIC.

Ord. Canonic. Regul. Custod. SS. Sepulchri Hierosol. Conuent. Miechou.

CYTISVS.

Non æstuum vehementiam, non frigorum asperitatem, non grandinum impetum, aut niuis iniuriam expauescit. Cui talis sit Epigraphe. Lætamur grauiora passi.

Nunc iam Castalides fundite carmina,
Et dulcem manibus tendite barbiton,
Cyrrhæ mellifluis pegmata personent
Vocum chromatibus, currat in âëra
Dulcis lætitiæ plausus, & aurea
Spectent astra, poli, lætitiæ notas.
En victor graditur cinctus agemate
Virtutum niueo, pulchra MIECHOVIÆ
Lux KOCORKOVIVS, nobilis ORDINIS
CVSTODVM tumuli Numinis inclytæ
Vrbis, quam, vocant Hierusalem, pius
Μύστης Relligiosus, perdomuit feros
Aestus, & rigidos frigoris impetus.

 Dum

Dum Mosis animum percoluit Sacris,
Emputamq; trucem, Desidiam voco
Prostrauit, Cytisi victor opes tenet.

XXIII. V. D. IOANNI CZYRNEK.

L O T V S.

Tradunt sole occidēte comprimi occludiq; Lotum, ad ortum autem aperiri, quam tali illustro schemate. *Alma lux mihi.*

Phœbe dum Tartessiacas ad vndas
Pergis, & vastum repetis cubile
Thethyos, fessis & equis corusca
Cùm iuga demis.
Protinus Lotus spoliata luce,
Stringitur, perdit foliumq; molle,
Vitreum at Phœbus mare quando linquit:
Emicat illa.
Et genas pandit, roseosq; vultus,
Semper ad claras properat Camenas
Candidus CZYRNEK, *velut ad Phaneta*
Lumina Lotus.
Peruiâ compage subit MATHESIS
Regna, clarebit, Patrios penates
Artibus, factis decorabit atq;
Septa PREMISLI.

XXIV. V. D. CAROLO ZABRZESKI.

C L y N E.

Ad Solem germina sua pulcherrima rotat, teste verò Plin. cum sole quotidiè circumagit, & horas etiam nubilo cælo indicat. Cui talem induco Inscriptionem: Semper ad ortum.

Seu Clyne solaris vocetur herba, seu
Lupinus, Heliotropiumue mobile,
Virtute tamen illa valet innatâ, sua
Venusta germinis decora, gemmea
Ad solis ora rotat, & horas indicat,
Dum nox tenet subuecta bigis aureum
Polum; Meus ZABRZESCIVS gratissimum
Doctæ Mineruæ Corculum, scientias
Semper imitatur, vt iubar clarissimum
Titanis, ille laureata dum loca
Honoris ascendit, venusta germina
Virtutis edidit in amœnis sedibus,
Quas incolit Iagello lux ACADEMIÆ.

XXV. V. D. DOMINICO KŁOSOWIC.

V I O L Æ.

Primi vernales flosculi humi serpentes, & in locis infimis ad radices montiū libenter crescunt, odorē habent suauem, contrà, montes etiam altissimi, sæpe ob asperitatē & altitudinē planè remanent steriles, paruūq; vsum præbēt hominibus. Placuit violas Lemnisco tituli condecorare. *Non sapiunt sublime.*

Huc ô iocosis cincta Phalangibus,
Regina florum Chloris amabilis
Molire gressus, huc serenâ.
Nube super Zephyriq; pennnis
Descende Velox, linque nitentia
Vireta Pæsti, Thespiadum domos
Intra, nitentes subministra
Hospitibus violas, rosasque.
Iam Bruma sæuas deposuit minas,
Iam Ver tepentes spirat Etesias,
Princepsq; ventorum furentem
Hippodates Boream profundo
Iniecit antro, carcere turbido
Frenauit, Euri nunc placidi fauent.
Nunc Virginis flores iocosæ
Purpureæ violæ nitescunt.
Apollo flores hos KLOSOVICIO
Donauit: hi sunt signa Modestiæ,
Virtutis, Artis, cum pudore,
Quo nitet vt rosa pulchra vere.

XXVI. V. D. ALBERTO WOSNIOWSKI.

T R I P H Y L L O N.

Herba est, dicitur & Trifolium, efficacissima traditur contra viperæ venenum, & contra serpentum ac scorpionum ictus valet. Serpens nunquam cōspicitur in trifolÿs (teste Dioscoride & Plinio,) à Græcis Asphaltites vel Bituminosum & à Scribonio Largo, Trifolium acutum. Illam tali pigmento animo. Procul este profani.

Scorpio cede minax violentâ cuspide sæue,
Nam tua nil herbæ toxica dira nocent.
Cristis præsignes torquentes nexibus orbes,
Squamosos angues alma triphylla fugant.
Non metuunt vario cumulatas corpore turmas,
Circæos succos, mortiferasq; nepas.
Dipsadas & iaculos veloces, atq; colubros
Inuidiæ, Probitas pellit amica tua.
Obtrectatores procul hinc & lingua susurra,
Zoilus, atq; Theon, Oscus, Aristophanes.

XXVII. V. D. IOANNI SOBINSKI.

C R O C V S.

Planta hæc colorum & florum copiâ præstans, pondere pressa in florē sese exerit, tandemq; pulchriùs renascitur, ac feliciùs germinat. Huic talem colorem induco. *Tendit in ardua virtus.*

VT Crocus natus propè murmurantem
Æsaris ripam, vitreósq; fontes,
Prodit in summum, tremuloq; semper
Crine vacillat.
Pulchrior surgit grauiore mole
Stringitur quando, generosus ardor
Pectoris nullos recipit pauores,
Sortis iniquæ
Spernit insultus, rigidosq; fasces
Ridet, augustis decoratus armis,
Aptus ad Doctæ subeunda multa
Pondera Musæ.
En meus SOBINIVS *in Palæstra*
Palladis feruet, superat labores,
Iam capit Lauri meritos honores
Serta IOANNES.

XXVIII. V. D. BENEDICTO WIĘCZKOWSKI.

R H O D O D A P H N E.

Aliter vocatur Rhododendron aut Nerion, arbor elegantissima, per totā æstatē flores profert, (teste Dioscoride lib. 4. cap. 85.) mulis, canibus, asinis venenum est; at hominibus aduersus serpentum morsus vtilis est vino præsertim & ruta addita. Huic talem insero lecythum. Et iuuat atq; nocet.

PRæstans cōspectu atq; comâ Rhododaphne virenti,
Fertur morbosis esse medela viris.
Expellit virus de pectore, colchica pocla
Tollit, & offensis artubus est panaces.
Attamen hæc brutis animalibus acre venenum,
Quam muli fugiunt vociferique canes.
Sic quoq; Præsidium tibi fert BENEDICTE Minerua,
Porrigit antidotum cōtra aconita mali.
Non tibi liuoris morsus, BENEDICTE nocebūt:
Nam reprobis addet Gloria theta nigrum.

XXIX. V. D. VALENTINO SZYMANSKI.

M O L Y.

Herba

Herba à Mercurio inuēta contra veneficia & magicas artes, Vlysſi illam tradidit, vt ea aduerſus dolos & voluptates Circes, quæ ſocios eius in varias belluarū ſpecies mutabat, ſe muniret: cui tale Lemma inſcribo, *Hac venena fugantur.*

Flore qui molli renitent iuuentæ,
Et genas nondum niueas obumbrat
Prima lanugo, maneat repôſta
Mente ſublimi, generoſa Moly,
Hæc fugat fraudes, fugat & voluptam,
Diſſipat Circes magicæ venena,
Reddit immunem, tribuit bacillum
Laureum, cunctos docet herba Moly.
Semper vt ſæuam Iliadem malorum
Vir bonus prudens fugiat, feroces
Frenet affectus, placido lupato
Temperet veræ rationis. En iam
Monſtra Sirenum ſuperauit atra,
Candidus Szymanscivs *& voluptæ*
Robur, aſſumens amuleta Phœbi,
Vicit & victor vigil eſt Vlyſſes.

XXX. V. D. MATTHÆO ORLINSKI.

Narcissvs.

Eſt lilij genus, radice carnosâ atq; odorâ, flore purpureo, folia in radice habens, ad ſimilitudinem foliorum arundinis. Additur à quodam ſupra ipſius fruticem, ſignum Arietis cæleſtis, quod veris tempus hilare nobis adducere ſolet, quem ſigno tali titulo. Beneuolus atq; benignus.

Qvod ſydus regnat? quàm clarè ſplēdet horizon?
Quàmque nouo renitet lumine Zodiacus.
En Narciſſorum nitidiſſima caſtra vireſcunt,
Ludit & in vernis Flora ſuperba plagis.
Signorum Princeps, ouium dux, proditor Helles,
Nubigenûm iuuenum non pete vector aquas?
Fulgens tu fueras Narciſſus, cùm tibi florens
Pingebat roſeas prima iuuenta genas.
Et modò floreſcit virtus tua, ſpirat odores,
Nunc iam Narciſſi pignora grata cape.

XXXI. V. D. STANISLAO ZYZNOWSKI.

Flos Tvlipa.

Nominatur à forma Turcici pilei, hic ad radios ſolis ſeſe pan-

dit, illis verò ſeſe occultātibus, aut pluuiâ tempeſtate ſuperueniente ſtatim clauditur, & langueſcit. Quem tali adorno Apodoſi: *Langueſco Sole latente.*

NON propera Titan Mauruſia viſere regna,
Nec piger auratis Heſpere ſurge plagis.
Si Pater Heſperio rutilantem gurgite currum
Phœbe recondideris, ſtagnaque vaſta petes
Langueſcam pluuia, & validâ veniente procellâ,
Non pandam folium, lumine cùm careo.
Inquit ZYZNOVIVS, *Sol eſt mihi Muſa, niteſcam,*
Marceſcam atque petam, ſi latitârit, humum.
Spem capio magnam, Zephyros tibi mittet Apollo,
Gemmea ſulcabit marmora cymba tua.

XXXII. V. D. CASIMIRO PAPVZYNSKI.

O C Y M V M.

Vulgò Baſilicum ſuauiſſimi eſt odoris, ſi mollius attrectetur, ſi verò prematur, vel planè conteratur, ingratum ſpirat, cui tale elogium inſero. Quò molliùs eò ſuauiùs.

ECce PAPVZINSKI præcelſi ſcandit amœna
Roſtra Magiſterij.
Omen & auſpicium proſcindet Apolline Cirrham,
Theſpiadesq́ue colet.
Ocyma dat virtus illi gratiſſima, ſignum
Fertilis ingenij.
Non ingratus eris Muſis CASIMIRE, labores
Dum modò ſuſcipies.
Ingenio polles acri, dulciq́ue Pöëſi,
Ergò age, rumpe moras.

XXXIII. V. D. ALEXANDRO MŁODNICKI.

H Y O S C Y A M V S.

Siue Apollinaris herba, propter nimiam ſuam frigiditatem ſumpta copioſior amentiam parit, ſi aues ad illam aduolent, & ſemine ipſius non adeò ingrato paſcantur, tandem ſtupidæ in terram decidunt, vt facilè capi poſsint, exceptis tamen ſturno & coturnice. Hanc tali ſymbolo depingo. *Diuitiæ haud aliter.*

HYoſcyamus herba grauis, horridâ pollet
Virtute, parit amentiam, volucresque
Dum ſemen eius largiùs premunt, mactat,
Caſſesque ſpolijs replet illa fallaces.
Vitas opum dulcedines ALEXANDER,

Quâ vul-

Quâ vulgus illectum procax, viam veræ
Rationis aspernatur, atque inexpletæ
Cupidinis habendi fretum procellosum
Mente quasi captum intrat, sed in caput posthac
Voluitur. Ad Atticos Scientiarum hortos
MLODNICIVS pergit meus, reportabit
Vberrimam laboris ardui messem.

XXIV. V. D. GEORGIO IANVSCHOWIC

A L O E.

Ob perpetuam viriditatem in Italia semper viuum appellatur, à Sole inprimis fouetur, & cum eius radijs flores illius elegantissimi circumaguntur: tale illi annecto symbolum. Dum voluitur iste.

Iste flos grato tegitur virore,
Flamen haud illi nocet æstuosi
Africi, sæuam Boreæ palæstram
Spernit, & Austri.
Notus est cunctis Italis, virorem
Seruat æternum, radijs fouetur
Lucidis Phœbi, rotat atque flores,
Cum face solis.
Viuidam flos denotat hic iuuentam,
Candidos mores, roseum pudorem,
His IANVSCHOWIC renitescit orbi
Palladis aureô.
Dotibus floret genij sagacis,
Colligit flores Ciceronianos,
Vt lares ornet Patrios, & alta
Mœnia Craci.

XXXV. V. D. ADAMO ROZYCKI.

T R I P O L I V M.

Nascitur in scopulis quibusdam, sitis inter Scyllam & Charybdim ad mare Siculum, flores profert similes violæ, dicitur Matronalis. Semen verò alij volunt in suis capsulis referre figuram crucis, quam tali decoro titulo. *Nullis præsentior æther.*

Inter rapaces ad Siculum mare
Scyllas, Charybdes, sæuus vbi fragor
Bacchatur vndarum, Notique
Terribilis, generat venustos
Hæc herba flores, qui violam exprimunt,
Sacri decussis bulga refert notam,
Stupenda cunctis, nam procellas
Nec scopulos metuit voraces.

Inter labores ROZICIVS *manet;*
Quos cura solers, & studium vigil,
Oberrat inuictus: velut cau-
Tes rigidis agitata ventis.
Figura sacra quid crucis indicat?
An non molestos pectoris impetus,
Quos in iuuentute instruenda
Sæpè cies generose Adame.

XXXVI. V. D. MATTHIÆ GŁADYSZ

HEMEROCALLIS.

Singulis diebus hic flos vnicus sese aperit, reliquis fermè omnibus marcescentibus. Cui talis sit Epigraphe. Diarij omnes.

Vita quidnam sit, nisi tristis vmbra?
Aut dies vnus, fugit ille pennâ
Ocyor venti, superat leænam,
Et leues pardos, celeresque Cauros.
Bellulos flores, leuis aura torquet,
Non diu viuunt, subitò necantur.
Est vnus dies, nitor eius omnis.
Solus hic flos Hemerocallis, inter
Fulgidos flores dominatur, ille
Non inarescit, placidèque floret.
Tu diem nunquam generose perdis,
Floridam vitam cumulas honestis
Artibus, possis vt habere fructus
Gloriæ, felix per amœna regna
Perge virtutum, cidarimque prênde.

XXXVII. V. D. PETRO IANIKOWSKI.

AMYGDALA.

Est arbor fructifera, cuius fructus duro & carnoso integitur cortice. Prima omnium arborum floret Mense Ianuar: ante maturitatem facilè fructũ amittit. Serenda est ab occasu Arcturi ad Brumiam. Huic tale lēma inscribo. *Nisi fregeris haud licèt esse.*

Virtus omnipotens semper amat celsa cacumina
Euitat tenebras cimmerias, luminibus cupit
Ornari proprijs, spernit opum lubrica fulgura,
Non mirum; è superum pegmatibus ducit originem,
O quàm difficiles illa vias exhibet omnibus,
Qui fama cupiunt eximia scandere culmina.
Certandum assiduò cum rigidis Palladis hostibus,
Est frangendus atrox sæpè labor, longaque tædia

Consumen-

Consumenda diu, symbolus est dulcis Amygdala
Curarum ac onerum, duritiem fructus habet, fouet
Ast intus nucleos, multa homini suppeditat bona.
IANIKOVIVS *ad magnificas laudis adoreas*
Dextris auspicijs iuit ouans, ardua culmina
Hac mente adijt, dædalei viribus ingenii
Excussit latices pegaseos, antraque Phocidos,
Fregit colliculos, nectaream sumit amygdalam.

XXXVIII. V. D. IOANNI NEAPOLITANO.

FRVCTVS Arboris TRISTIS.

Est in India, hæc nunquam nisi nocte floret, quoties Sol occidit, flore omni vidua est, semihoræ verò elapso spatio, floribus turget adeò, vt & visus spectaculo, & odoratu nares afficiatur, sole oriente flores eius decidunt, cum tali Epigraphe. Operatur dum operitur.

INdia fortunata manes, & sydere nata
Fausto, nam superas regiones.
Gaudes muneribus Cerealibus, aurea semper
Gemmarum tibi Gargara seruit,
Arboribus clares mirandis, est tibi tristis
Arbor, nocte viret dominante:
At cùm conscendit roseo spectabilis ore
Cælum Memnonis alma parens, tunc
Floribus orbatur: NEAPOLITANE modesti
Est index animi arbos odora.
Occultas propriam virtutem, lumina spernis,
Laurus te faciet modò clarum.

XXXIX. V. & R. P. ADAMO IASINSKI.

LILIVM.

Est flos candidissimus ac odoratissimus, vndiq; spinis vallatus, nihilominus tamen eminet, & odorem ac candorem retitinet. Hunc tali decoro titulo: *Semper inclyta virtus.*

VIncunt Lilia purpuram rubenti
Tinctam murice, lacteisque pictam
Gemmis vndique, gloriam potentis
Euincunt Salomonis; ac olores.
Sacros illa notant tuos honores
O IASINSCIE, *lux amica Phœbi,*
Et candoris opes, & artium vim.
Quid Spinæ? Hæreticos, ferum Lutherum.
Virtus sic tua crescet inter acres
Hostes, Zuingli non tibi nocebit

Styx, polles Sophiæ nitore suaui,
Et candore fugabis ista monstra.

XL. V. D. ANDREÆ GRABIANOWSKI.

SENTIDA id est SENSIFICA.

Ad accessum hominum aut contactum illicò flaccescit, & sese claudit, constringitq́, nec se pandit priusquam inde iterum discessum sit, quo facto, confestim & quasi nouiter virescit, & dilatatur ampliter. Huic tale insero Lemma. Nemo me tangat.

ADeste castæ lumina Palladis,
Mystæ parentis Dædaleæ omnium,
Cohors Cleanthis, vel Platonis,
Quæ facili religas Mineruâ
Nodos latentes. Cur hominum fugit
Hæc herba tactum? cur decus aureum
Amittit? & pòst copiosè
Luxuriat folijs venustis.
Præstabis hîc iam longa silentia.
Hanc GRABIANOWSKI porrigit herbulam
Apollo, vires vt stupendas
Eliciat genio sagaci.
Nexus resoluet, Phœbus ait, nites
Virtute, summis dotibus ingenij,
Te nemo tanget, cùm viresces,
Liuor erit procul, atq; Momus.

XLI. V. D. ALBERTO GLADISEWIC.

TAMARINDOS.

Arbor est in Iaua Indiæ insulâ, procera, flos eius primo subruber prodit, qui pòst tamen albescit, ex hoc flore filamenta longiuscula prodeunt, ex quibus fructus suspenditur, quamprimùm sol occumbit, folia orbiculatim fructũ inuoluunt, vt eum à frigore nocturno tueatur. Idem Sol si manè supra horizontẽ conscenderit, tum folia se rursùs pandunt, fructum nudant, cum tali inscriptione. *Aspice vt aspiciar.*

PRæmia quisq́; tenet, virtutis symbola clara
Ingenij, & genij.
Ast tibi pulchra datur Tamarindos, flore superba,
Cùm fugat astra Phanes.
Inuoluunt fructum folia, æquore quando iugales
Mergit in Hesperio.
Indicat eximios hæc arbos florida mores,
Sedulitatis opes.
Declarat mentem promptam, delubra Mineruæ
Aspice, clarus eris.

STANISLA-

STANISLAVS ZIMNICKI.

VENERABILI DOMINO,

STANISLAO SLACHETKA

LEOPOLIENSI ex ordine XX.

Concandidato Chariſſimo.

ΦΙΛΑΝΘΡΟΠΙΩΝ.

LAuros, & violas, palmam, myrrhamque, Cupreſſos,
Hic hederas Hortus protulit, atque Roſas.
Has tibi Caſtalidum contexit turba corollas,
Atq; tuum cinxit STANESILAE caput.
Cracia quêis doctæ Iagelonica Templa Mineruæ
Condecores, magnis dotibus ingenij.
Culta tuo Pallas reſidet ſub pectore; caſtis
Te iunxit vatum doctus Apollo choris.
Tullius eloquio, diuinâ dote Matheſis,
Te beat, atq; fouent docta lycea Scoti.
Aoniâ multum celebrande Poëta Cinyrâ,
Nobilis es genio, nobile nomen habes.
Perge bonis auibus natiui gemma LEONIS,
Et niteas patrio luxq; decuſq; Polo.

IOANNES BAPTISTA de Bulowicè NYCZ.

V. D. STANISLAO SLACHETKA Leopol.

Vati, & Concandidato benè merito.

Iuſtus ac honeſtus Labor; præmijs, honoribus, ſplendore decoratur. *Cic. lib.* I. *de Oratore.*

LAborioſum ſiccinè pendulis,
Cœlum lacertis, feruidus inuehis,
SLACHETKA: dum deprælianti͂um
Dardanidum potiore cornu
Inauguratam fortibus occinis,
Diem Palæſtis: quam Iagelonidæ,

 Iuſſère

Iusſére Reges, decalenti
Ferre duplex diadema fronti?
Heroa pangis, cùm Sapientiæ,
Et liberarum, iurgia, mentium;
Non hæc proteruiâ, inuidorum
Myrmidonum, nec abominatâ
Stymphalidarum fæce triformium,
Exterminantur, quêis cerebrum deeſt.
Vbiq; iuſtus poſt Veſuuî,
Buſta, labor, manet expeditus.
Benè auſpicatæ nam Sapientiæ,
Communis vnquam diripuit nihil,
Neceſſitudo: ſiue iuſto,
Pro pretio decor in Labore,
Seu iam quieto ſplendor in atrio,
Illuminati ſit comes ingenî;
Fortuna nil ſibi decoris
Attribuit: Sapientis omne eſt.
Tu, ne futuro ſegnis in otio,
Inſtructa plenis brachia linteis,
Antenna tardet, prouidebis.
Fine bono, bona cuncta ſtabunt.

V. & R. P. IOANNES WOSCZYNA Andreouień.
Canonicus Curelouienſis.

V. D. STANISLAO SŁACHETKA Leopol.
Amico intimo & Concandidato, gratitudinis ergò offert
Palmam cum tali Epigraphe:

INVIDIA INTEGRITATIS ASSECLA.

PAlma virens frondoſa cacumina tollit in auras,
Excelſis ramis orba nec eſſe ſolet.
Cuius ad ima loquax ranunculus obſtrepit, aſpis
Sibilat, & grandis Phrynos, & Hydrus adeſt.
Currite ſerpentes vaſtas quicunq; cauernas
Incolitis, minimè toxica veſtra nocent.
Sic te tentabant euertere ſpicula linguæ,
Dum tibi clarus honor præmia pulchra dabat.
Nil nocuit morſus liuoris, lingua nec atrox,
Latrantes curas Cynthia vt alta canes.

VOTVM

VOTVM
AVGVSTISSIMÆ
CÆLI ET TERRÆ REGINÆ,
POTENTISSIMÆ
ANGELORVM HEROINÆ,
INVICTISSIMÆ
MATRI GENTIVM,
FORTISSIMÆ
DOMITRICI COLVBRI ANNOSI,
VIRGINI
MARIÆ
Sine labe Conceptæ.

ET CLARISSIMO SYDERI,
ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS
PATRIARCHÆ, BEATO
IOANNI CANTIO.
VV. DD. LICENTIATORVM.

VIRGO formosis redimita stellis,
Virgo lucentes imitata gemmas
Virgo Erythræi pretiosa vincens
Munera ponti.
Syderis præses rutilantis, Orbis
Totius clarum decus, & columna,
Qui colunt artes, vigilesque Musas
Sæpè salutant.

Diua nunc nobis faciem serenam
Virgo demonstra, dubijsque nautis
Inter horrentes scopulos, amica
Lumina præbe.

Virgo Tu nobis Cynosura clara,
Tu micans nobis iubar, ô MARIA.
Attico tristes recrea, precamur
Nectare seruos.

Iam rates nostras rabidis Notorum
Misimus flabris, vbi sæuientes
Sæpè feruescunt Boreæ procellæ,
Corus & Eurus.

Tu vacillantes super alta puppes
Dirigis faustè, tumidoque Nerêi
Eripis ventri, subitas repellis
Virgo procellas.

Efferos cryptâ premis alma Virgo
Impetus venti, Zephyroque leni
Cùm faues Nautis, hilares, ad oras
Carbasa pandunt.

Nostra iam ripas ratibus quietis
Anchora en mordet, cupit intueri
Regna tranquillæ ditionis, amplas
Carpere lauros.

Nostra Tu splendens Pharus es MARIA,
Luce Tu nostros animos serenas,
Gemmeum sulcat mare, Te fauente
Nostra trieris.

Supplices cuncti Tibi Virgo laudes
Diua portamus, prece Tu benignâ
Filium leni, fera ne malorum
Nos premat aura.

Sancte Tu Doctor Patriarcha CANTI,
Clara lux nostrûm, decus ô Lycei
Nos iuua natos precibus, sereno
Respice vultu.

DEO O. M. Beatæq; MARIÆ Virgini honor & gloria.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0009386